

Viro eruditissimo Clarissimoque,
10. SALOMONI SEMLEAO,
ad ornandam rem literariam nato factoque,

S. D.
C. G. Schvvarzius. *potius h. n. antiquit.
græcæ linguæ.*

Humanitatis suavitatisque prorsus singularis
significationes nullis, opinor, literis vel plu-
res, vel luculentiores, dari possunt, quam ier-
quas a te accepi, amicissime SIMLEAS. Ob-
servationes totæ de Bæliæ Lexico in linguam
Germanicam conuerso multa cum animi vo-
luptate legi. Fasciculum I. miscellanearum
Lectionum per aliquot hebdomadas No-
rimbergæ in omnibus bibliopoliis quaeren-
das curavi, sed diu nancisci non potui,

usque dum forte intelligerem, cum apud Lichten-
 stegerum reperiri. Tanta est invidia improbo-
 rum bibliopolarum, ut Lichtenstegero aegre vide-
 antur facere uelle, cuius summi hi libri typis
 excuduntur. Sic uero, in legendis literis tuis
 opusculisque quocunque me uerti, et suauissimi
 ingenii tui imaginem, atque admirandae indu-
 striae eruditionisque exquisitissimae, ac cum
 singulari modestia coniunctae, documenta
 ibi abunde expressa deprehendi. Quapropter
 non possum non rei publicae literariae gratulari,
 de tam egregio ornamento futuro, eamque ita-
 demiam felicem existimare, quae tam eximiae
 indoli uirtutisque promeritos decernet honores,
 tantaeque doctrinae magis magisque explican-
 dae campum aperiet. Nequaquam uero te
 deterreat nasuti maleuolique hominis temeritas,
 qui, nescio, quam maiorem in notandis uirorum
 quorundam eruditorum erroribus moderationem

desiderare ausus est; erigat se potius, et ad plu-
 ra ac meliora quaeque audenda excitet. Atqui,
 quae servitus foret, si in orbe erudito ab alijs dis-
 sentire non ticeret! Amicus mihi Heumannus,
 amicus Gesnerus; sed magis amica veritas.
 Dissentio aliquando ab his aliisque, ubi opus
 est; sed, quod et tu facis, sine ullo comitio.
 Neque vero, quae tua humanitas est, aegre feres,
 quod ad tam gratas elegantesque literas tuas
 tardius, quam par erat, nunc respondes: non
 enim leues cunctandi causae mihi fuere. In-
 posterum haud sciens prudensque committam,
 ut tuae de me opinionis speique poeniteat;
 quamvis vix habeam, quo tam proluxae de
 me expectationi facere satis possim. Ad ex-
 tremum tibi propteritimos rerum studiorumque
 successus, et digna industriae praemia, comprecor.

Excellentissimo autem Baumgartnero, qui optimus
 TIBI contigit Patronus, data occasione, ut cul-
 tum meum et obseruantiam testeris, peto. Vale.
 Babam Altorfæ Noricorum, XXVI Martii,
 A. S. A. cl. lcccxxxviii.

P. S. Nudius tertius Altorfio discessit Studiosus, Sonnen-
 mayerus, Weissenburgeris e Nordgauensibus: cui fasci-
 culum ad te perferendum tradidi. Sed ecce, ex nimia
 festinatione accidit, ut non nisi Germanicam schedu-
 lam, qua petū notitiam vetustorum Bibliorum,
 quae Berolini in bibliotheca Regia afferuantur, fasci-
 culo isti incluserim, ipsam uero epistolam hanc, quam
 nunc mitto, praeter opinionem, inter ceteras res meas
 relictam, iam forte repererim: cui oscitantiae meae
 ut ignoscas, etiam atque etiam rogo. Verum ite-
 rumque uale.